

De æqualibus motibus præcessionis æquinoctiorum  
 & inclinationis zodiaci. Cap. VI.


Omnis autem circularis motus diuersus apparens, in quatuor terminis uersatur: est ubi tardus apparet, ubi uelox tanquam in extremis, & ubi mediocris ut in medijs. Quoniam à fine diminutionis & augmenti principio, transit ad mediocrem: à mediocri grandescit in uelocitatem: rursus à ueloci in mediocrem tendit: inde quod reliquum est ab æqualitate in priorem reuertitur tarditatem. Quibus datur intelligi, in qua parte circuli locus diuersitatis siue anomalie pro tempore fuerit, quibus etiam indicatijs ipsa anomalie restitutio præcipitur. Ut in quadripartito circulo sit a summe tarditatis locus, b crescens mediocritas, c finis augmenti atque principium diminutionis, d mediocritas decrescens. Quoniam igitur, ut superius recitatum est, à Timochari ad Ptolemæum præcæteris temporibus tardior motus præcessionis æquinoctiorum apparens repertus est, & quia æqualis aliquandiu & uniformis apparebat, ut Aristylli, Hipparchi, Agrippæ & Menelai medio tempore obseruata ostendunt, arguit motum ipsum æquinoctiorum apparentem simpliciter fuisse tardissimum, & medio tempore in augmenti principio, quando cessans diminutio, incipienti augmento coniuncta, mutua compensatione efficiebat, ut interim motus uniformis uideretur. Quapropter Timochareos obseruatio in ultimam partem circuli sub d a reponenda est, Ptolemaica uero primum incidet quadrantem sub a b. Rursus quia in secundo interuallo à Ptolemæo ad Machometum Aratensem, uelocior motus reperitur quam in tertio, declarat summam uelocitatem, hoc est, c signum in secundo temporis interuallo præterisse, & anomaliam ad tertium iam peruenisse quadrantem circuli sub c d, & interuallo tertio ad nos usque anomalie restitutionem propemodum compleri, & reuerti ad principium Timochareos. Nam si m. dccc. xix. annis à Timochari ad nos totum circuitum in partibus quibus solet ccclx comprehendamus, habebimus pro ratione annorum ccccxxxii. circumferentiã partiũ lxxxv. s. Annorũ uero dccxlii. partes cxlvi. scrup. li. atque in reliquis annis dcxlv. reliquã circumferentiã partiũ cxxvii. scrup. xxxix. Hæc obuiã ac simplici coniectura